XIX 19

IAC.

SADOLETI

TIT. S. CALLISTI

S. R. E. PRESBYTERI

CARDINALIS, ET

EPISCOPI CAR-

PENTORA-

CTIS,

De regno Vngariæ ab hoſtibus Turcis oppreſſo, & capto,

HOMILIA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VIRTVTE DVCE,



COMITE FORTVNA.

LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM, M. D. XLI.

IAC. SADOLETI

TIT. S. CALLISTI S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS, ET EPISCOPI CARPENTORACTIS,

De Regno Vngariæ ab hoſtibus Turcis oppreſſo, & capto,

HOMILIA.

MAGNO, & intolerabili dolore afficior, fratres chariſsimi, ex his iam penè aſſiduis incommodis, & detrimentis, quibus Chriſtiana conficitur & laceratur Reſpub. Nec uerò aliter uobis uſu uenire intelligo. Sed ætas mea exacta iam, & pręcipitans, uſuſq; rerum multarum, in quibus diu ſum, penituſq; uerſatus, me plus aliquanto, quàm pars uirilis poſtulat, non ſolùm pręſentia mala hæc dolere, quæ longe antè impendẽtia uideram, ſed etiã futura pertimeſcere ſemper cogit: ut dolor meus cum metu & timore deteriorũ rerum ſemper cõiunctus, grauiores mihi profectò, quàm cuiquam ueſtrũ, animi curas afferre, & ſollicitudines debeat. Et tamen paulò antè cùm recitarẽtur ex Germania literæ, quæ regnum Vngariæ totum delatum in hoſtium poteſtatem, noſtrorũ exercitus occidione occi-

ſos,uexatas & perditas citeriores prouincias, Peſtũ & Budam,urbes loco manuq́ munitas, arces regni illius,quæ propinquæ Auſtriæ,& propter uicinitatis ſitusq́ opportunitatem,tanquam ueſtibulũ Germaniæ,propugnacula Italiæ ſemper habitę ſunt, ab hoſtibus Turcis oppugnatas,& captas nuntiabant: uidi ego gemitus & dolores ueſtros,uosq́ propè æquè, atq; ego eram,perculſos, atq; afflictos illo aduerſo nuntio intellexi. Cùm autẽ illa prætерea,quæ in eiſdem literis ſubiuncta erant, uobis legerentur, quòd maximas cædes ubiq; Chriſtianorum eſſe factas,nulli neq; ætati, neq; ſexui crudelitatẽ hoſtium pepercisse,terram coopertam corporibus interfectorum,flumina ſanguine multo cruenta fluxiſſe conſtabat:Quis tum fuit ueſtrum, qui in tanta cõiuncti nobis & religione & legibus Chriſtiani generis ſtrage lachrymas tenere poſſet? Quis non defleuit ſociorum caſum? Quis ſe dolore non abiecit? Nec uerò quiſquam, opinor, ex nobis in domeſtico funere, quanquam chariſsimo pignore orbatus, tãtum unquam mœſtitię luctusq́ ſuſcepit,quantis nos cuncti fletibus & lamẽtis caſum hunc Reip. & ueluti funus proſecuti ſumus. Laudo pietatem ueſtrã,fratres dilectiſsimi, humanitatẽ probo, charitatem agnoſco. Quòd enim calamitate fratrum ueſtrorum,tãquam ueſtra commouemini,magno mihi ea res argumẽto eſt, uos laturos fuiſſe miſeris illis atq; indigentibus opem,ſi facultas affuiſſet, quos ab immaniſsimis hoſtibus

ſtibus crudeliter abſumptos tãtopere doletis. Nam quod illi fratres fuerint ueſtri, ſintq́ reliqui omnes, qui ab eodem patre Deo, & ex eadem matre eccleſia in hanc cœleſtem uobiſcum unà cognationis neceſsitudinem geniti ſunt, & procreati, ne dubitatis quidem. Quotiens enim cunque Dominica à nobis profertur oratio (qui mos in Chriſtum rectè credentibus ſolennis, & quotidianus eſt) paterq́ noſter Deus inuocatur, & poſcitur, totiens fratrum noſtrorum, qui ubiq́ gentium eundem Deum patrem agnoſcunt, facimus mentionem. Quos ſi uere, ſi iure, ſi ſanctiore etiam, q̃ hæc mortalis & terrena ſit, generis neceſsitudine fratres appellamus, fraterna item iure beneuolentia & uoluntate complectimur. Atque horum, ò miſera & calamitoſa tempora, in quæ nos deuenimus: horum inquam Dei filiorũ, fratrumq́ IESV Chriſti & noſtrorum, genus quondam peramplum, & frequẽtiſsima cognatio, omneis propè terras, maria omnia obtinebat, tum cùm diffuſa toto orbe terrarum cunctis in gentibus Deo gratias agebat, hymnosq́ & laudes catholica concinebat eccleſia, pòſt locis undiq́ & regionibus expulſi, patrijsq́ ſedibus extorres abire coacti, paulatim primò, deindè præcipitantius, ad extremum Africa Aſiaq́ amiſsis, omnibusq́ prouincijs, quæ trans mare ſunt, inter diſſenſiones noſtras à Turca occupatis, angulum Europæ non maximum tenebamus: cùm eadem ira Dei, & amentia

noſtra nobis aduerſante, ex eo ipſo iam extrudimur. Quis enim non uideat, noſtris munitionibus iam effractis, patefactum eſſe hac oppreſsione Vngariæ hoſtibus barbaris aditum ad fortunas noſtras omneis corripiēdas, ſanguinemq́ Chriſtianorum fundendum, atq exorbendum, quem illi tanta cū auiditate ſemper ſitiunt, ut ſaturari eo nūquàm, nec expleri poſsint? Atq hæc eò duriora nobis atq indigniora eueniunt, quòd cùm uirtute, ſi per noſtras diſſenſiones & diſcordias liceat, ſuperiores ſimus, amentia & cæcitate animi reddimur inferiores. Inferiores dico? iam non eſt uerbi huius rebus ipſis congruens & apta ſignificatio. Illi enim inferiores uocandi ſunt, qui cùm certent, cùm repugnent, cùm reſiſtant, uincuntur tamen uel aduerſariorum ui, uel aliquo calamitatis caſu. Nos ſine certamine traditi hoſtium libidini & crudelitati ſumus, & qui, ſi uellemus, tanquam aduerſus fœminas uiri eſſe poſſemus, ceu pecudes ſumus ad impetum luporum proiecti, atque expoſiti, deſtituti à paſtoribus noſtris, quos ipſorum propria ſtudia, acerbaq́ inter ſe odia in partes diuerſas trahunt: nulla autem, uel non ea quam deceret, ipſis commiſsi gregis cura beneuolentiaq́ attingit. Siquidem bonus paſtor, quemadmodum eſt à Domino in Euangelio demonſtratum, non & ipſe paſcitur fructu & incrementis gregis, & lupos non arcet populari conantes gregem; ſed ut ſalutē ouium ſuarū tueatur

& cuſto

& cuſtodiat, offert in diſcrimen ſuam. Quod nõ modò noſtri humani paſtores non faciunt, ſed quod multo grauius & pernicioſius nobis eſt, ab ipſo quoque Deo ſummo omnium paſtore & duce neglecti iampridem et repudiati ſumus, quòd grauem eius iram, offenſionemq́ aduerſum nos, noſtra innumerabilia peccata concitauerunt. An non perſpicua omnibus & manifeſta eſt Dei offenſio? Quis dubitare hac quidem de re poteſt? quis aliud ſentire? Hoſtis adeſt in foribus, atque is hoſtis, qui cùm ſanguinis & prædæ uehementiſsimè ſit appetens, ſanguine tamen noſtro magis etiam quàm præda ſemper eſt delectatus. Is cædem, & ſeruitutem omnibus nobis denuntiat. Nihil audimus, nihil commouemur: iam intulit uim atque arma, iam reſcidit uallum munitionum noſtrarum, iam intra noſtra caſtra tabernaculaq́ uerſatur: nos ab hac cogitatione penitus auerſi ſumus: inter nos litigamus, inter nos digladiamur: & dum magna prælia paruis de rebus inter nos conſerimus, ad illud prælium, quo noſtra ſalus & fortunæ omnes in uniuerſum periculum uocatæ ſunt, minime ſumus attenti. Poteſt'ne ex his obſcura cuiq́ eſſe ira cõtra nos, & inimica, infeſtaq́ uoluntas omnipotentis Dei? Vnde enim, obſecro, nobis hic ſtupor, hæc animi omiſsio, hæc uecordia? niſi quia nõn direximus cor noſtrum in Deum, & non coniunximus cum eo ſpiritum noſtrum, neque poſuimus in eo ſpem noſtram, & in lege eius ambu-

lare

lare noluimus,ſumusq́ ipſius beneficiorum obliti, & ad iracundiam eum conciuimus. Idcirco tradidit in captiuitatē uirtutem noſtram, & omneis noſtros apparatus in manus inimici: conſumpſit gladio populum ſuum,& hæreditatem ſuam repudiauit. Nō enim alijs fratres uerbis malorum noſtrorum uera ratio & cauſa, præſertimq́ tantorum,exprimenda nobis eſt,quàm eſt à Propheta ipſo, & à ſcripturæ ſanctæ oraculis expreſſa. Quos em̄ Deus nō amat, ijs mentem & cōſilium profecto adimit. Hæc porrò nobis adempta eſſe quis nō intelligat? Qui ſi prętеritis malis detrimentisq́ edocti,aliquādo tamē reſipiſceremus:ſi cognitis hoſtis inſidijs, eiusq́ malitia & calliditate perſpecta, qui ſemper ſociales noſtras diſcordias occaſionē ſuā rerū bene gerēdarū aduerſus nos putauit,qui incredibili ambitione inflāmatus,inhiat orbis terræ imperio,qui noſtrū omne extinctum & perditum nomen cupit:ipſi quoq́ arma contra eum noſtra & auxilia conferremus,animisq́ uſi uirilibus, & conſilium quo ualere ſolebamus, & uirtutē,qua lōge ſumus ſuperiores, illius & malitiæ opponeremus,& ferocitati:placatoq́ imprimis, qđ maxime neceſſe eſt, Deo,quod expiandis pœnitentia ueteribus peccatis, nouaq́ & caſta uita ad illius arbitrium & uoluntatē ineunda perfacile obtineremus,ſpes eſſet non modò nos impetū hoſtis barbari & crudelis à reliquis noſtris urbibus & agris repulſuros,ſed ultro in eius præſidia & regna inuaſu-

ros,recuperandiſq́ prouincijs & nationibus, quas amiſimus,ueterē unà dignitatem & amplitudinem maiorū noſtrorum recuperaturos. Nunc quis nos amētiæ non condēnabit,& rationis lumine orbatos nō agnoſcet,claraq́ hæc & certa indicia non conſtituet, alienati à nobis atq́ auerſi præpotentis Dei,illiusq́ diuinę dexteræ à noſtra protectione amotæ? Cuius Dei alienationē etiam mētis noſtræ alienatio ſequitur: q̄ nō modò nil dignū nobis, maioribusq́ noſtris cogitamus,ſed ne ſupremā quidem peſtem, quæ nobis imminet, ultimumq́ excidiū, quod appropinquat,poſſumus rectis oculis conſpicari. An eſt de reliquo exitio noſtro nobis dubitandū? nosq́ ea tantūmodo,quæ male adhuc geſta ſunt cōqueri- mur,de futuris nō pertimeſcimus? Imò uerò metus et expectatio malorū impēdentiū nos peius habet,q̄ dolor eorum,quæ iam perpeſsi ſumus. Id adeò uos mecū unà cōſiderate: Turca hoſtis ſuperbus, & uictoria ferox, religione impius, crudelitate barbarus,auidus imperij ſui ampliandi (ſi tamen id imperiū,in quo unus omnino liber, & idem tyrānus eſt, cæteri extrema fortunę cōditione ſunt ſerui)is nunc utraq́ Pannonia ſuæ ditioni ſubiuncta, tot populis & prouincijs uno aduentu ſuo,impetuq́ oppreſsis, & à Chriſtiana cōſenſione diuulſis, oppida, arcesq́ eas ui cepit,ex quibus proximus illi & procliuis ad hæc noſtra interiora eſt progreſſus, ut & peruagari quà uelit,& excurrere quocunq́ libeat,ſine metu &

periculo rerum ſuarũ,iam illi ſit licitum. Eſt'ne igi‑
tur quiſquam qui dubitet, quin hac opportunitate
cõtra nos uſurus,ſuarumq́ curſum uictoriarũ con‑
tinuaturus ſit? Nemo profecto: nõ enim remittit ille
quippiam,nõ procraſtinat, nõ ſinit effluere & præ‑
teruolare occaſiones: ſed prǫſto eſt ſemper uenienti‑
bus,& ſe offert. Quid ergo, cũ iniecerit ſeſe intror‑
ſum in nos, ut forſitan iam iniecit, nihil dum enim
poſtea ex illis locis huc eſt allatum. Quos, quos ille
inueniet ciuitatum,nationumq́ conſenſus,& cõſpi‑
rationes paratas,ad obuiã eundum,reſiſtendumq́?
Quam cõcordiam, & prouidentiã Principum con‑
ſulentium rebus cõmunibus? Quas acies,manusq́
militum,quos nõ ſolum animi fortitudo, ſed pietas
etiam erga patriã, aduerſus impium hoſtem arma‑
rit atq; erexerit? Nihil omnino horum, ſed cuncta
odijs ciuilibus diſsipata, factionibus perturbata,
hæreſibus polluta ignauis prauis'ue conſilijs cõta‑
minata, & perdita, eſt reperturus: ut illi ſumma cõ‑
moditas ad impugnandum, nobis uix ulla facultas
ad reſiſtendum reliqua oſtendatur. Nam ſi reſiſten‑
di conſilium, aut animus fuiſſet, in propugnaculis
oportuit reſiſti. Nunc amiſsis illis, quanto maiore
cum periculo debilitatas uires noſtras hoſti oppo‑
nemus,qui integras obuiã ferre neglexímus? quan‑
quàm nullum quidem periculũ deſidia, & inteſtina
noſtra diſſenſione maius eſt. Vtinam modò conue‑
niremus, utinam conſopita iam diu Chriſtiani no‑
minis

minis uirtus,aliquãdo tandẽ expergiſceretur,Prin-
cipesq́ noſtri,quibus data eſt in Chriſtiano populo
poteſtas & moderatio,quę ſe eſſent digna,& ſuo nõ
mini conſentanea cogitarent,alterutrum nobis non
deeſſet,ut aut uinceremus hoſtem ignauum ſuapte
natura,noſtris diſſenſionibus felicẽ,non fortem:aut
ſi à nobis eſſet Dei omnipotẽtis decreto hæc ſpes &
gloria tantæ uictoriæ abiudicata,honeſtè tamẽ,tan-
quam fortis in pugna uir, & ſine dedecore cadere-
mus:qui nunc pecudum exterritarũ more diſpulſi
& errantes, ſine opilione, ſine certo ſigno, ſic dila-
niamur paſsim,atq́ conterimur,ut nõ modò nobis
uiuentibus dignitas, ſed etiã moriẽtibus deſit miſe-
ricordia. Verùm quoniam queri quidẽ hiſce de re-
bus poſſumus,opitulari autẽ & ſubſidio eſſe ruenti
Reipu. nõ poſſumus, q ad id nobis nõ animus,ſed
fortuna opes non ſuppeditat, ſi quid autẽ autorita-
tis publice in conſulendo habuimus, id fruſtra iam
aliquotiens & dicendo & ſcribendo ſumus experti.
Veniamus fratres chariſsimi ad ea ſolatia, & in pe-
riculis maliſq́ perfugia, quæ nobis nulla inimica
uis,nullius hoſtis acerbitas, nulla cõmutatio rerũ,
uiſq́ & inclinatio tẽporũ poteſt eripere: Ad Deum
enim noſtrum, qui ſummũ nobis bonum eſt, tutus
ſemper nobis eſt,ſi uolumus,faciliſq́ receptus: nec
nos deterreat, q ille habitat altiſsimis in locis, nos
in infimo mundo ſumus põſiti: non enim tarditatẽ
corporũ, ſed uelocitate animorũ illuc uſq́ perten-

dimus. Etenim poſteaq̃ IESVS Chriſtus ſummi filius patris, parq́ ipſe patri & natura & poteſtate Deus, ad nos deuenit, carniſq́ noſtrę fieri dignatus eſt particeps, quò ſuæ ipſe diuinitatis nos quoq́ uiciſsim compotes efficeret, ex eo regnum cœli uim à mortalibus pati aſſueuit, & uiolenti illud, atq́ fortes rapere cœperunt: nec tamen iſta uiolentia eò eſt requiſita, ut oram, ambitumq́ cœli, quaſi urbis munitæ mœnia tormentis perrumpamus, ſed in diſſoluendis uinculis neceſsitudinum terrenarũ, quę nos ab Deo longè remotos detinent, & in tabernaculis noſtræ uitæ, quę in terra altè fixa, atq́ defoſſa ſunt, extrahendis ac refigendis, noua quædam & magna uis nobis neceſſario eſt adhibenda: quam nos nec noſſe, quo ex genere ſit, nec ſuſcipere & exequi quẽadmodũ oporteat unquàm potuiſſemus, niſi Chriſtus idẽ nobis et exemplo ſemel fuiſſet ad percipiendam eius rei doctrinam, & eſſet quotidie adiumẽto ad exercendam uirtutẽ. Quapropter fratres, ſi uolumus (ut ante dixi) noſmetipſos, & bona omnia noſtra in illum ſublimem locum deportare poſſumus, quò neq́ malum aliquod, nec flagellũ inimici poteſt appropinquare. Cur autem ita uelle debeamus, cauſæ complures ſunt, & diuinæ illæ quidẽ, & humanę: ſed nos breuitatis cauſa paucis perſtringemus. Humanæ cauſæ ſunt, quamobrem nos conueniat ſpes & rationes noſtras conferre & dirigere in unum Deum, ut malum, ut calamitatẽ, ut exitium

fugiamus

fugiamus: Diuinæ, ut bonũ, ut felicitatẽ, ut immor-
talitatem cõſequamur. Parum'ne uobis in utraque
parte ponderis eſſe uidetur, & momenti, cur & hæc
quę mala ſunt relinquere, & illa quæ tãta & tam ex-
petenda bona ſunt, exquirere debeamus? Nam hic
quidem, in hoc inquam mundo, & in his terrenis ac
mortalibus bonis, ſi tamen bona appellanda ſunt,
quę quò plura & maiora nos circũſiſtũt, hoc ſumus
angoribus animorum et ſollicitudinum ſtimulis in-
quietiores. Igitur in his ecquid nam obſecro tanti
eſt, ut id ſtudio noſtro & cura dignũ ſit iudicãdum,
ac mediocri quidem cura? cùm tamen nos omneis
curas, & ſtudia omnia noſtra in ijs rebus conſti-
tuamus: in quo malus nimirum nos error, et opinio
decipit, uſu ac cõſuetudine deprauata. Cùm ſi rectè
putare rationem totam, & naturam rei perſcrutari
uelimus, contrà nobis eueniat, quàm ut ſibi perſua-
ſerat, & ſummam ſuarum rationum fecerat noſtra
cogitatio. Illa enim ex his temporum & terræ bonis
multas ſibi paratas utilitates, egregias commodita-
tes, complures & magnas & uarias iucunditates ſpe
præceperat, quarũ euentu in experiundo fraudata,
(incidit enim magis ex illis in moleſtias, in mœro-
res, in timores graues, & ſollicitudines) nunquam
tamen deſiſtit inquirere anxiè & laborioſe, quo ſe
nunquam fruituram intelligere nõ poteſt: ita & ſpe
uana meliorũ in poſterum rerũ, & tædio ac ſatietate
præſentium fruſtrata, & illuſa uita noſtra, antè prę-

ceps ad occaſum truditur, quàm non modò potue-
rit reperire,quod quærebat,ſed etiam quàm iter re-
ctum ad quærendum inuenerit. Itaq; ille ſapiẽtiſsi-
mus Regum,cui & ſua ui ingenij atq; conſilij,& im-
primis Dei omnipotẽtis donis omnia,quæ optarat,
ad uoluntatem ſucceſſerant,cùm honores,imperiũ,
regnum inter ſuos,famã autem & gloriam , & præ-
ſtantem autoritatem inter alienos,illas uidelicet na-
tiones Orientis eſſet nactus, cùm agros prȩclarè cul
tos & conſitos paraſſet,magnificè & ſplẽdidè omni-
bus in locis ædificaſſet , maximum auri pondus ar-
gentiq; congregaſſet,tum autem cætera, quæ ad uo
luptatem corporis,& ad lætitiã animi apta atq; ido-
nea eſſe exiſtimãtur, haberet ſibi per omneis prope-
modum ædium & uillarum ſuarum angulos, perq;
omnia horarum temporumq; momẽta parata atq;
diſpoſita:in his tamẽ ipſe,& alijs eiuſdem modi,ſin-
gulis rebus cõmemorandis inſiſtens, tanquã illuſus
à Fortuna,& à ſpe ſua deſtitutus, exclamat ubique,
Vanitatem iſta omnia eſſe:nec qualencunq; uanita-
tem,ſed quæ cæterarum omnium princeps uanita-
tum,& ſumma uanitas ſit.Quod perinde eſt,ut ſi di
ceret,non eſſe uanum cõtemptũ huiuſmodi rerum,
quarũ ſtudium et adeptio ſit maxima uanitas.Quid
in Euangelio dominus,Luca atteſtante, nonne ho-
minem illum optima ratione redarguit , qui ædifi-
catis ſibi cellis penarijs permultis , ijsq; omniũ fru-
ctuũ copia & uarietate repletis , cùm in multos an-
nos

nos paratas ſibi copias uitæ & cōmoditates uideret, auſus eſt animo ſuo dicere, & ſuadere, ut gauderet nunc deniq;, & lætaretur, quoniā haberet in poſterum, quibus ſe perpetuò eſſet oblectaturus: ad quē mors eodem ferè momēto, Stulte, inquit, hac nocte abs te anima tua repoſcetur. Et ſanè omnibus ferè hoc contingit, qui in terrenis bonis cōgregandis elaborant, ut ſemper ſolliciti, ſemper anxij, ad omnia ſemper auido animo anhelantes, nuſquam inueniāt ſuarum ſollicitudinum finem, exitum'ue laborum, cùm tamē ſemper inuenturos ſe ſperēt, donec mors improuiſa irrepens, inopinātеis eos in medio curarum æſtu, & cupiditatum opprimat: uel ſtupenteis, & attonitos tanquā beluas, & illo mortis caſu amēteis factos, quòd ſe fragiles eſſe, & ex moribūdo genere ortos antea non cogitarant: uel ſi ſenſum & cogitationem conditionis ſuæ eo tempore retineant, tum maximè gementes & dolentes, uitam ſibi eripi, cùm rebus ſuis planè conſtituendis nondum finem eum, quem ſibi propoſitū habuerant, impoſuiſſent. Sed ſit hic fermè cunctoꝝ cōmunis error, & humana deceptio, ut diximus, quæ ab hominibus malè adhuc animaduerſa, ex ſcripturis ſanctis perſpicuè redarguta eſt, quòd inter uanā ſpem futuroꝝ bonorum, quæ ſcilicet terrena & mortalia ſint, inanemq; fructum præſentium, quoꝝ quotidianis ſollicitudinibus, & moleſtiarum aculeis amara plerunque, & irrequieta eſt poſſeſsio, portum noſtrarum cogitationum

tionum tenere non poſſumus. Quid? quòd amore huiuſmodi bonorum deprauati, atq; inducti, uera, & ſempiterna bona ueluti ſponte, et data opera à nobis abalienamus? Tãtum'ne hic quoq; poteſt error, & importuna nobis cæcitas animi ſic officit, ut certiſsimorum, maximorumq; bonorum, præ his quę & leuia, & certè fugitiua ſunt, nullam ſæpenumero ducamus rationem? ut perpetuam noſtram ſalutem, & fœlicitatẽ, breui & falſę iucunditati poſthabeamus? Diximus hæc terræ bona non magnæ à nobis dignationis haberi cõuenire, propterea quòd eorum acquiſitio laborioſa, cuſtodia ſollicita, poſſeſsio fugax, fructus nobis atq; uſus inutilis plerũq;, & pernicioſus ſit. Atq; hæc ita diximus, ut etiam illa ſi iure obtineãtur à nobis, ſi ſponte ſua ad nos confluãt, ſi ſine iniuria, ſine improbitate, ſine conſciẽtiæ dãno ſint nobis parata, non tamen magni facienda uideãtur; propterea quòd aut bona ex ſe, & ſua natura, non ſunt Chriſtianis hominibus quidem, quorum nõ eſt in his copijs beatitudo conſtituta: aut ſi quid habent in ſeſe boni, in eo habeant duntaxat, cùm negliguntur quà ad cõmodum noſtrum pertinent, ad aliorum autem incõmoda ſubleuanda potius adhibẽtur. Vt uerò eis quoq; appetendis, captandis auidè, anxieq; quoquomodo cõquirendis, nec fides teneatur à nobis, nec ſeruetur iuſiurãdum, nec pietatis ac religionis erga Deum, humanitatis erga proximũ, ratio habeatur: quis hanc tantam labem, & perni-

ciem bonorum morum cum animaduertit,non ipſa coactus ueritate confiteatur,Deum nobis merito & iuſtiſsime ſuccenſere? Miramur nomen Chriſtianũ peſſum quotidie ire? Miramur hoſtibus noſtris tantam uim, tantã proſperitatẽ,tam felices noſtro detrimento atq; exitio euentus ꝓcedere? Quid iſta mirari oportet,cùm omnium origo maloꝝ euidens & manifeſta ſit? Nempe ꝙ iratus,& inimicus nobis eſt Deus:nec ſponte ille ſua.Quid enim magis eſt ab illius clementia & infinita bonitate alienũ? Sed maximis & grauiſsimis iniurijs ꝓuocatus à nobis. Itaq; ut Aſsyrios ad excidium Iudęoꝝ adduxit,ſic exterminationi noſtræ inuehit, atq; corroborat Turcas, genus hominum longe multoq; quàm Aſsyrij & crudele magis, & inhumanũ,& barbarum. Minus enim offenditur Deus in ijs, qui apertè illi & ſunt, & ſemper fuere hoſtes,ꝙ̃ in nobis,qui amicitiã cum eo fidelitatemq; profeſsi,omnia & fidei, & amicitię iura prodimus, & uiolamus: idq; aduerſus Deum, qui uindicare acerrimè,& quãuis ſubito poteſt, cuius forti potentiæ incuruantur & inclinãtur omnia, nec noſtram abiectionem imbecillitatemq; reſpicimus,& ſæpe intra nos taciti ratiocinamur,& querimus,quid cauſæ ſit,ꝙ uideatur Deus de nobis curã abieciſſe, & nationes eas, in quibus ſolis colitur & honoratur ipſius nomen, uaſtari, diripi, & in ſeruitutem redigi ſinere. Qui eſt iſte cultus atq; honor? aut quæ Dei colens natio? Quid habet Deus iam in

nobis,quod ſuũ dicere poſsit? cùm uſurpetur quotidie quidem inter nos illius nomẽ:uerùm id magis ad confirmationẽ improbitatis noſtræ, ꝙ ad uenerationẽ diuinitatis ſuæ,atque ut ipſemet inquit,Labijs tantum à nobis honoretur,cor autem noſtrum longe ſit ab eo.Quod ita eſſe iam mihi omnes concedatis eſt neceſſe.Eſt'ne quicquã quod ille magis nobis præceperit, crebriusꝙ idem & uehementius inculcarit, quàm ut diligeremus inter nos,ut inuicem quiſꝙ alterius onera ferremus,ut eſſemus erga proximum & humanitate & beneficentia miſericordes, & mites? Quid ergo? (reſpondeat quicunque uult) Paretur'ne Deo,ita præcipienti, obtẽperatur, obeditur? Obſcurum eſt,credo, Carpẽtoractenſes mei. Sic enim agam nunc uobiſcũ,ut de uitijs eis,& peccatis,quę generi & ordini ueſtro familiariora ſunt, cõmemorandum putem : non adſunt principes uiri impreſentia,non Reges,non Pontifices,nõ factioſi & nobiles,non militares homines, non illuſtres artes ſcientiasꝙ profeſsi,quibus,ſi adeſſent,alia,& alterius modi adhibẽda eſſet oratio:uobiſcũ loquor; quos tanquã diligens paſtor cupio in uiam errantes reducere,& à Chriſto Domino diſiunctos, ad Chriſtum rurſus adiungere:de uulgatis & communibus delictis uerba facio,nõ ut quempiam lædam bonũ, ſed ut minus bonis timorem aliquem Domini (in quo initium omnis ſapientiæ eſt,& corrigẽdæ uitæ ſtudium) quatenus nobis à Deo conceditur, inſerã

atq; inijciam. Obſcurum'ne cuiq; & dubiũ eſſe poteſt, quid agatur in hoc quotidiano inter ſe hominũ cõmercio, in hac infida ſocietate uitæ? quæ alternis opibus ſuppeditata, & adiuta fideli & mutua charitate, ſicut imperat Dominus, munita eſſe debebat, non'ne omne penè omnium ſtudiũ in eo nunc conſumitur, ut circũueniendo proximo, quæſtui quiſque ſuo, & iniuſto lucro deſeruiat? emuntur, uenduntur, contrahuntur quotidie res, ſyngraphæ cõficiuntur, iudicia exercentur, lites intenduntur, ubiq; Deus, ubiq; iuſiurãdũ, ubiq; pactio, ubiq; promiſſio; eſt'ne in hiſce rebus fidei iam uſquã, & ueritati, & iuſtitiæ, & religioni locus? parum'ne cogitamus, quid nam agimus; aut ſi ea res, & animi noſtri inteſtina malitia, menti noſtræ eſt propoſita, Deum ita deſpeximus, ut illi uolentes, & prudentes, tot quotidie inferre nõ uereamur iniurias? Mitto nunc cætera cõmunis uitæ delicta, deſidias, libidines, luxus, æmulationes, iracũdias, & quæ ſunt eiuſdem modi, quæ etſi uitia, ac peccata grauia ſunt, eodemq; in genere improbitatis uerſantur, tamẽ faciliores habẽt, q̃ auaritia, ad Deum rurſus receptus. Auaritia maximè una eſt, quæ tanquã tetra quædã, horribiliſq; peſtis, diſsipat omnẽ bonũ morem, humanæq; uitæ ſocietatem diſturbat, & depopulatur; quorumq; in animum inuaſit, arcemq; in eis obtinuit mentis atq; cõſilij, eos illa ſtatim è familia Dei ereptos, atq; abſtractos, in ſeruitutem Sathanæ mancipat. Eſt enim

Auaritia,ut pluribus in locis repetit Paulus, Idolorum ſeruitus. Egregium ſanè fructū fert hominibus auaritia,ut qui à Domino Deo pacem, ſalutem, uitam,felicitatēq; & precamur & optamus,eaq; unius illius dono obtineri à nobis poſſe cognoſcimus, nec tam in terris hæc, quæ mortalia ſunt, ſed illa cœleſtia & ſempiterna,ijdem ad aureū alium Dominum transfugientes, oppoſitum è regione omnipotenti Deo,ſuppliceſq; illi facti,mortē & perniciem ab eo, animiq; turbam & tumultum, totiuſq; uitę miſeriā precibus impetramus: nec ſolùm hæc in hac ut habeamus uita, in qua tamen miſerijs finē mors quādoq; imponit: uerùm et in altera,ubi nulla unquam ſummæ infelicitatis & miſerrimæ calamitatis datur intercapedo. An nō hoc experimini quotidie in uobis Fratres? Vos ego appello,ſi qui forte adeſtis, in quibus maius aliquanto, q̄ oporteret,inſit pecunię ſtudiū. Vos enim ego parturio in Chriſto,& in eodē Chriſto ſanos,& ualentes cupio parere. Non'ne inquā ſentitis,q̄ acres habeat ſtimulos,& quàm animū uehementer fodicet iſte lucri amor,uſq; eò quidem,ut quieſcere animū non ſinat, turbaſq; omniū intus concitet cupiditatum: quibus quidē in eo dominantibus non pax,non ratio, non rectus mentis uſus habere ibidem locū poteſt, non uirtus, non libertas,non cōſilij conſtantia. Atqui ad animum ſic affectum,tanquā in domum ſeditionibus & turbis agitatā, nequaquā pacis autor ingreditur Chriſtus

neq; uerò

neq; uerò ipſe habere aditū eò poteſt, ubi eum mens non recipit, ſordidis alijs curis & cupiditatibus occupata: aures non audiunt, quoniā pecuniæ, & ſyngraphar, & litium tinnitibus obſtrepuntur: lingua nón nominat, niſi cùm inaudito quodā, & prorſus nefario ſcelere, captandi lucri cauſa, facere eum illa uult ſuæ fraudis, & perfidiæ adſtipulatorem, & teſtem. O' miſeros nos, eo'ne uſq; amentię, & impietatis proceſſum eſt, ut quò mendacijs noſtris fidem aſtruamus, Deum ſæpe teſtem ſcelerata mente faciamus. Falſitas ergo imperabit ueritati, Chriſtianis hominibus autoribus, & Sathanas leges imponet Deo? In primis, quæ Moyſi à Deo data ſunt, præceptis illud prope eſt primarium, quo uetamur nomē Dei noſtri irrita, & ludicra appellatione expromere. In quo præcepto id ſpectatum eſt, ut ne nimium crebra & familiari cōmemoratione illud uilius factum, minus ſanctum & uenerabile ad aures hominum accideret. Nos quod ſine cauſa facere prohibiti ſumus, ob eam cauſam faciemus potiſsimū, ut mendacia noſtra iureiurādo fulcientes, proximo noſtro fraudi & detrimento ſimus? Quid tandē ut efficiamus, aut quod eſt extremum & ultimū noſtrar tantarum cōtentionum & labor? Nempe ut & ipſi terræ cōmodis, & corporis iucunditatibus largius perfruamur, & liberis noſtris quamplurimum relinquamus. Poteſt'ne quiſquam malè partis benè frui? aut in animo ſibi ipſi implacato, & diſcorde, ſoluta

& pura huiuſmodi bonorũ delectatio ineſſe? Liberis autẽ noſtris non'ne eam certiorẽ hereditatẽ trãſmittimus, qua ipſos in eadem cupiditate, & malo more, nobis inſtituimus ſimiles, quam qua ędeis illis noſtras, & fundos relinquimus? Quæ tamẽ ipſa quoquo pacto nobis quæſita ſint, etiam per fas, & honeſtam rationem, omnia iam animaduertere poteſtis addicta eſſe uaſtitati. Turcæ adſunt, impendent, irruunt, una hac, & recente equitatus ſui excurſione Pannoniã utrãque ſibi ſubiecerũt, treis trans Danubiũ uno tẽpore prouincias, Dacorumque illas gẽtes & nationes, quę in treis Tetrarchias erãt diſtributæ, in ſuam redegerunt poteſtatẽ: non quieſcunt, non deſiſtunt, nõ defatigantur, ardent cupiditate omnia corripiendi, terribiles ſunt crudelitate, feroces uictoria. Itaque reliquis populis, oriſque Italiæ & Germaniæ, exitium cladem'que minantur: nos ad eos arcẽdos, & propulſandos, propter inteſtinas noſtras diſcordias, propterque illam infelicem & cæcã dementiam, quæ nobis ex ira Dei, & ex peccatis noſtris inuecta eſt, minime ſumus idonei. Quàm eos diu putamus ab his locis abfuturos? quam nõ celeriter aduolaturos? ut nos quoque ſedibus noſtris, & fortunis euertant, qui plus una æſtate proxima terrarũ & nationum, uincendo, uaſtando, urendoque obierunt, quam quantum inter ipſos nunc, & inter nos ſit interiectũ: longiora ſpatia cum exercitu maximo, quippe centũ & quinquaginta millibus equitũ, trecentis peditum peruo-

lauerunt,

lauerunt, quàm ſint ea, quibus ſumus ab illis ſeparati, atque diſiuncti: ut confidere nemo poſsit, hanc diu peſtem & perniciem à nobis abfuturam, qua orbis terræ iam ferè oppreſſus eſt. At ſunt urbes & oppida munita in medio, quæ uim illorꝝ ſuſtineãt. Hæc ratio fratres, hęc falſa opinio, omneis penè gentes & Chriſtianas nationes opportunas hoſti ad ſubigendum præbuit: dum enim unaquæque earum in uiribus & propugnatione alterius, quæ ante ſe eſſet periculo obiecta, ſpem ſuam ponit, dumq; illius præſidio ſe exiſtimat tutam, nec coire cum ea belli & fortunæ ſocietatem curat, deinceps ſingulæ ſunt in ſeruitutem excidiumq; arreptæ. Quin mihi uehementer ut reformidem in mentem uenit, cernenti præſertim & agnoſcenti Chriſtianæ Reipub. ſtatum, quæ domeſticis uulneribus grauiter ægrota, uix tollere oculos, & haurire ſpiritum liberioris cœli poteſt, ne paucos ad annos (quod tu, ò bone Deus, obrue quæſo, & deteſtare meum omen) ex his exturbati, atque eiecti locis, & in ultimas aliquas terras, qui Turcarum & barbarorum mos eſt, tranſire iuſsi, patrias haſce ſedes, & auitos lares noſtros, harenis aut paludibus commutare cogamur, quicunque tamen crudeliſsimæ hoſtium cædi ſuperfuerimus: quanquam qui tunc morientur, multo erunt fortunatiores. Sed uos, uos inquam appello Carpentoractenſes mei, mea curatio, meus dilectus grex, quando noſtra non eſt medendi his ma-

lis, illisq́ obuiam eundi poteſtas: quorum autem ea eſt, ij aut non intelligunt, quid mali ipſis & periculi immineat, aut certè negligunt: cuius oſcitantiæ, pernicioſæq́ negligentiæ magna olim ab eis, & peracerba certè exigetur ratio. Quando ergo hæc noſtræ poteſtatis non ſunt, nec cunctorum ſaluti et publicæ incolumitati conſulere poſſumus, noſtræ ſaltem conſulamus. Eſt autem illud cōſilium primum optimum, ut ne tantum in his terrenis bonis operæ ſtudij́q́ ponamus, quorum amor nos facit, ut animo ſimus ſemper irrequieto, & ſollicito, ut timoribus, ut mœroribus, ut doloribus omnibus pateamus, quæ etiam ſi nobis bona propria eſſe poſſent, non tamen eſſent tanti, ut præ illorum commodis, quæ omnia extra nos ſunt, & ad corpus noſtrum forſitan nonnihil, ad nos quidem ipſos minime certè pertinent, tot noſtros proprios intimosq́ angores, tot animi moleſtias ſollicitudinesq́ ſuſciperemus. Nunc & incerta ipſa ſunt, facileq́ caduca, ac fragilia, & in id præſentis adducta diſcriminis, ut Turcis magis parata, quàm nobis, & hoſtibus potius, quàm liberis tradenda eſſe uideantur: quorum ab amore, & inconſulta cupiditate, ſi animum auellere & reglutinare ſtuduerimus, continuò nobis Chriſtus illuceſcet: continuò uerior illa uita cæleſtis, & ſempiterna, magis erit nobis cordi: atq́ horum bonorum (minime quidem bonorum) adipiſcendorum cauſa ſi quid iniquè, improbè, fraudu-

lenterq́

lenterq́ꝫ egerimus, ſi quod patrauerimus facinus, ſi qua libidine, ſi quo turpi ſcelere fuerimus maculati, atque infecti, ueniet diuinitus in nos ſancta illa, & ſalutaris pœnitentia, quæ molliet pectus noſtrum, omnesq́ꝫ intimos animi receſſus peragrabit, atqꝫ illinc euerret ſordes, impietates, fraudes, nequitias, mundumq́ꝫ in nobis Deo parabit domicilium: quo quidem Deo humaniſsime & clemētiſsime noſtrum hoſpitium ſubeunte, danteq́ꝫ nobis gratiæ & reconciliationis ſuæ dexteram, ſpei multo melioris & firmioris lætitiæ efficiemur compotes. Non tum nos iſta terrebunt, quæ nunc anxios & miſeros maiorem in modum habent: non ex aliorum triſtibus euentis noſtram propinquam calamitatem extimeſcemus: non audiendis crudeliſsimi hoſtis cædibus & ſtragibus, quas ille in fratribus noſtris populis Chriſti uidelicet quotidie facit, animo ipſi conſternabimur. Eſt omnino quidam dolor ex fratrum noſtrorum incommodis inteſtinus in nobis, quem charitas Chriſtiana nō ſinit nos eijcere, ſed ut aliorum calamitatibus indoleamus, noſtrarum certe erimus ſecuri: quod enim amitti à nobis poſsit, quod'ue nobis eripi, nihil admodum erit, in quod ius habeat Fortuna & poteſtatem. Itaque cum diuino pſalte alacres concinemus, De ærumna mea inuocaui Dominū, & exaudiuit me Deus: Dominus mihi adiutor, non timebo quicquid faciat mihi homo: Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciā inimi-

cos meos. Deum enim nobiſcum habentes, Fratres Chariſsimi, facilè inimicorū impetus, ferocitatesq; contemnemus, à quibus nullum præſertim eſſe poteſt noſtris certiſsimis ueriſsimisq; bonis periculū. Etenim attolite, quæſo, oculos in cœlum, contemplamini & conſiderate patriam illam, quam ita oculis noſtris & mentibus ingerit, atque offert Deus, ut uideatur uix ſpatium dare nobis uelle, alior ſum uerſum curas & cogitationes noſtras cōuertendi. Hanc nobis ſedem fortunarum omnium noſtrarum, hoc regnum proprium atq; perpetuum promittit Chriſtus, quò nobis iter, atq; aditum, non hoſtium equitatus, quamuis innumerabilis, non inſidiæ ullæ, nō aperta aliqua uis poteſt intercludere. Vt enim in libertate dici ſolet, neminem poſſe amittere libertatem, niſi qui ipſe autor factus ſit: ſic regnum cœleſte nemini poteſt eripi, qui non ipſe ſit ſuæ tantæ iacturæ calamitatiq; aſſenſus. Tanta fuit ergà nos ſummi Dei benignitas, ut rem omnium pulcherrimam & maximam, in qua adipiſcenda omnes noſtræ proſperitates, omnes iucunditates, uita denique beata, & immortalis noſtra ſita eſt, noſtræ eſſe ſubiectam uoluerit poteſtati. Dedit enim nobis poteſtatem (ut enunciat ſcriptura) filios Dei fieri, ijs qui credidimus in nomine filij eius. Nam hoc quidem imprimis ad cognationē cœleſtem ſummamq; tantæ nobilitatis gloriam acquirendam neceſſarium, & nobis, & cæteris omnibus eſt, ut credatur in nomine

unigeniti

unigeniti filij Dei IESV Chriſti, ſine quo omnis noſter conatus in cœlum perueniendi irritus & inanis eſt. Porrò autem ita creditur (ne fortè in uerbo quiſpiam uim ſitam putet, ſolaq; credulitate arbitretur ſe ſatisfacere) ita inquam creditur, ſi in eo omnis ſpes noſtra, non in his terrenis rebus, mortalibusq; conſtituatur. Hoc ſi egerimus, in eumq; crediderimus toto animo & plena fide, quæ maximè in amore cœleſtium conſiſtit, deſpicientiaq; terreſtrium, quotienſcunque aliquid ſæuum atq; atrox nobis nuntiabitur, cuiuſmodi ferè iam hauriunt quotidie, & expectant aures noſtræ, quotiens aut urbs nominis noſtri ab hoſtibus exciſa, aut populus abductus, aut trucidatus exercitus, aut nationes integræ prouinciæq; oppreſſæ huc perferentur, dolebimus quidem, ut dictum eſt: nec aliter poterit fieri: ſumus enim omnes unius corporis membra. Sed tamen in luctu publicæ calamitatis proprium paratum unuſquiſque noſtrum ſolatium habebimus. Clamabimus enim ad Deum corde conuerſi: Et ſi ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es. Quamobrem expergiſcere, qui dormis, & exurge à mortuis (hoc eſt, à peccatis, quæ ueram afferunt mortem) & lucebit tibi Chriſtus, is qui tua cauſa ex Deo homo factus eſt, qui pro te crucem & mortem non recuſauit, qui generis humani unicus in cœlum eſt deductor. Lucebit autem is tibi, ut recto itinere tibi demonſtrato, ſi

to, ſi monitis eius parere uolueris, in illud cœleſte domicilium te deducat. Nunc quidem etiam, dum hic ſumus, iucundiſsima expectatione & ſpe illiusq́ diuinæ uitæ ſi piè, innocenter, chriſtianeq́ uixerimus, ſimilitudine: pòſt, re quoque ipſa, & propria cœli poſſeſsione, cùm ille nobis extremus dies aduenerit, quem plerique fruſtra pertimeſcimus: qui deberemus potius optare atque depoſcere, ut ex hac ęrumnoſa & calamitoſa uita, in illam pacatiſsimam, & beatiſsimã quàm primum traduceremur. Quod equidem Deum immortalem rogo atque oro, ut & mihi, & uobis quo ipſe ſtatuerit tempore feliciter contingat, gratia & miſericordia eiuſdem Dei & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre & Spiritu ſancto uiuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE